

11
Sacratissima Caesareo Regia ac Apostolica Majestas
Domina Domina, naturaliter Clementissima!

Cogitantibus nobis, sub spe Divina ac Regia Clementia, de sub-
mississimo ad Scabellum Throni Sacratissima Vestra Majestatis
accessu, inevitabili nimirum ad id necessitate impulsis: fate-
mur nos fulgore Magnificentia Regalis Majestatis Vestrae
pertextitos, tamdiu animi habuisse anxios; donec dulcissimum
illud omnibus omnium Regnorum Subditis, Sacratissimae
quoque Vestrae Majestati in deliciis positum Matris enco-
mium, istam animis nostris adflaret serenitatem ac fiduci-
am, ut quae quidem Subditi REGIS, quae vero Filii, MATRIS
opem implorare, nulli dubitaremus.

Quibus autem arumis pressi, efficacissimum simul ac presentif-
simum Absolutae Majestatis Vestrae auxilium supplicissime
implorare cogamur, humillime declaraturi, provocamus ad
Excelsi Consilii Locumtenentialis Regii Intimatum, Anno lae-
bentis 1761, in negotio Caesarum emanatum, nobisque die 6
Julii medio Inchyti nostri Comitatus Congradiensis satis su-
perque expositum. In quo, prouti providis Excelsi Consilii
oculis notatos, ibidemque recensitos Chales abusus, Christianae
equitati incongruos peritus tollendos, iisdemque aliis,
qui justum rectumque spirent usus substituendos esse vehe-
menter probamus: ita altum cordibus nostris premimus
dolorem, dum vigore et obsequio earundem benignarum ordi-
nationum, Religionem nostram, preciosissimum quippe, quae
in terris possidemus thesaurum, ipsamque adeo Conscientia-
rum libertatem manifeste peti, nosque ad Ceximonias Reli-
gioni nostrae contrarias adigi animadvertimus: Cum tamen
haec in parte, tam publicis Regni legibus, signanter articulo
8^{to} Anni 1647, quam benignissima Serenissima Austri-
aco Domus, imo Majestatis quoque Vestrae benedicta Indul-
gentia superflue provisum esse, potuerimus hucusque gloriari.

7
Novimus Clementissima Domina ac Regina, virtute tam Divi-
narum quam humanarum legum, arbitrii Vestrae Majestatis esse,
ut Supremi nostri in Terris Principis, quoad hoc fluxa et ter-
stria, quidcumque de personis rebusque nostris statuendi. Novi-
mus, Imperio Majestatis Vestrae immediate post Bellum Subjace-
re, hanc nostram quam degimus vitam, corpus, sanguinem
liberos, omnes denique nostras facultates; ita enim hac in re
tam ex placitis nostra Religionis, quam ex ipsis Sacris Litteris
quis edocti ac instituti sumus: Verum illud quoque, Pace qui-
dem ac plus quam Materna Sacratissima Majestatis Vestrae indu-
gentia, citra tamen vel minimam ejusdem absolute in Ter-
ris potestatis lesionem humillime adfirmare audemus: Reli-
gionis tributum, sive Deum colendi rationem, uti nostram,
ita cuique suam, totam illibatamque, semper soli Deo
unice reservandam esse; officiaque Divina erga Deum, ac
Regia erga Regem pietatis ita esse partienda, ut suum cuique
regulis quoque nature id invenientibus/tribuatur. Confirmat
hoc rationis dictamen Dominus noster Jesus Christus, dum
Date inquit Deo, quae Dei sunt, et quae Caesaris sunt Caesari.
Ex quo Salvatoris nostri dicto innocentissime concludimus, in Reli-
gionem Deo debitam soli Deo jus competere, eamque unice dan-
dam esse Deo, jubenti: Fili mi! da mihi cor tuum; jam vero
cordis functio omnium prestantissima est pium ac liberum
cuiusque Religionis exercitium.

Ponatur vero Clementissima Domina! casus, nos Exceli Consilii Lo-
cum tenentialis suffis reluctantem conscientiam obtemperaturos
quoad Sacrorum Romano Catholicorum, Processionumque Religio-
rum injunctam frequentationem: quale demum, quantive pre-
tium factum hoc Religiosum ad stateram Sacrarum Litterarum
ponderatum, futurum sit: equissimo Sacratissima Majestatis Vestrae
iudicio humillime submittimus definiendum.

Primo enim. Pias quaslibet actiones, ipsa Religione imperatas, solius
Dei causa, illiusque unice favorem demerendi studio esse in-
stituendas, easdemque, principali hoc scopo neglecto nihili valis



quin Deo nausea futura, e Ratione ac Revelatione, stat ma-
 netque evidentissimum: Sacrorum autem Romano Catholicorum
 frequentationem, per nos, qua Helvetica Confessione addictos Epifi-
 ces exercendam, si pote. exercibilem, tanquam imperatum nobis
 humana auctoritatis opus, idque Religioni nostra adversum, val-
 tem nos, qua tales, non omnino Dei, sed id ipsum imperan-
 tium hominum causa facturos, ex irrefragabili Conscientia testi-
 monio jam praevidere intelligimus; qua, qualis sit futura Religio
 sacra littera passim haud faventer determinant.

Secundo: In Religione, nihil quod coactum illubensque est Deo
 placere; quin ex adverso singulas Christiani Cultus functiones
 spontaneas fieri oportere sexcentis Sacra Scriptura testimoniis
 habemus constabilitam. Cum enim Deus in Veteri Testamento, ne fe-
 ram quidem ratione carentem, ad altare duci reluctantem pro sacri-
 ficio acceptare voluerit: negari omnino nequit, Eum longe magis
 detestaturum in homine rationali coactum quodvis pietatis officii-
 um sub gratiosa hac qua vivimus Oeconomia Novi Foderis, adeoq-
 Christianae libertatis. Proinde iniunctam nobis invitae ac Consci-
 entiae reclamantibus solos Romano Catholicos spectantem actionem
 Religiosam, Deum, qui sponte ac lubenter vult coli, in nobis quidem
 nullo procul modo probaturum certissime persuasi sumus.

Tertio: Quamvis sola quoque coactio, et Conscientiarum nulli mortalium re-
 frenabilis venientia, cultum istum intuitu nostri, Deo reddere que-
 at averfabilem; nihilo minus huic incommodo alia quoque momen-
 to majora se se adfociatura jam eminens prospicimus; praesertim vero
 Hypochrismi scelus oculis Dei summe abominandum nulla ratio-
 ne emanaturum; qua quidem quoad nos unice intelligenda, Helvetia
 nempe Confessione addictos Epifices, Rituum Romanae Ecclesiae fre-
 quentatione externa, speciem quidem Religiosa actionis eminentes,
 animo vero diversum plane sentientes, imo quod factiramus corpore,
 corde improbant, humillime cupimus. nam certe quoad fratres
 Romano Catholicos in hoc praesice puncto obtinet locum, grave
 illud ac aureum S. Pauli Apostoli monitum: Beatus, qui se ipsum
 non iudicat, in eo quod probat. Ita autem de Hypochrismi per
 nos dictum in modum committenda cogitatio, quotiescumque animum
 nostrum subit, toties pectoribus imis inhorrescit terribile illud Ju-
 dicis Christi dictum comminatorium: Va vobis Hypochrismi. Beatum
 igitur predicatorem sunt omnes gentes Protestantium Archiepisco-
 pum Cameraensem Fernelonium, summum illum Aulae Gallicae

4

Præceptorem, ita inter alia multa Principem suum infucentem:
» Nunquam cogendos esse Subditos ad Religionem: Nulla potestate
» humana expugnari posse liberam cordis humani artem: Coactio-
» ne non persuaderi unquam homines; Sed effici meros Hypocritas.
» Magnam quoque Rex Polonia Stephanus Bathorius illustribus
» factis, sed majorem longe gloriam dicto illo vere Apostolico
» adeptus est: Rex sum populorum, non Conscientiarum. Tria
» hæc sibi DEUS reservavit: Aliquid ex nihilo creare, Futura nos-
» se, et Conscientiis dominari. Ne igitur facto isto saltem nostris
» Conscientiis dissentaneo, et quoad nos duntaxat hypocritice pesa-
» gendo iram Supremi Numinis in nosmet concitare, ne item Gra-
» tum Romano Catholicorum animos suspitione gravare, eosdem-
» que ab attentione Sacris debita avocare ac offendere debea-
» mus: DEi et Sacratissima Vestra Apostolica Majestatis
» reverentem ab his erroribus gratiam profundis gemitibus
» anhelamus.

Quarto: Facto isto Religioni nostræ adveniente tam nobis omni modo
parvulis, quam per nos aliis fidei nostræ confortibus scanda-
lum non parvum præbitum iri, orituræque exinde tristis con-
sequentiæ res ipsa loquitur, multiplicique comprobatur ex-
perientiâ.

Denique exhorrescimus O Sacratissima Casareo Regia Majestas!
cerentes hoc pacto asperam necessitatem nobis imponi, ut nos-
met inter duas Religiones, nostram nimirum et Romano Catholi-
cam dividamus, adeoque parte quidem ab una Conscientiis, parte
vero ab altera Excellii Consilii Imperio parituri, duobus Do-
minis Servire teneamur. Nobis, Denignissima Domina!
Religio nostra, prout cuique sua id esse videtur, imo profecto
esse debet, quod mulieri ad Judicium Salomonis Regis voca-
to foetus suus genuinus, quem cum amula mulier ferro
dissecandum, interque duas dividendum flagitaret: Vera
mater, ne id eveniret, tenerrimo qui ipsum quoque Re-
gem commovit in infantem suum adfectu impedivit. Siqui-
eum, totum sibi restitui a Denigno ac Sapienti Rege
impetravit. Nos quoque humillimi Supplicantes, hoc exem-
plo alliciti in indulgentissima Augustissima Vestra Ma-
jestatis Clementiâ spem ponimus firmissimam, Sacra-

5
tissimam Vestram Majestatem, Divisionem talem, quā
Matrem optimam, Reginamque Sapientissimam non
permisuram; quin potius nos in conscientiarum nostrarum
integra libertate benignissime conservaturam speramus
ac confidimus.

Atque hinc est Clementissima Domina, quod omnium nostra-
rum cum quibus nobis colluctandum est Arcummarum, unicum
in terris profidum in Regio duntaxat Maternoque Sacra-
tissimo Majestatis Vestra miserationum sine positum esse
pervasi, tremebundi quidem, at homagiali simulque sub-
mississima fressi fiducia, ad scabellum Sacratissima Vestra
Majestatis prostratis per omne, quicquid DEO, Angelis, ho-
minibusque Sacrum est; principaliter vero per Sanguinem,
per lacrimas Domini nostri JESU CHRISTI, pro li-
bertate conscientiarum nostrarum Supplices ac devoti in-
tercedimus. Quid enim Christiano REGE dignius, quam
id, quod in Subditis suis prestantissimum est, nimirum Consci-
entiam, Imperio Monarcha Celi ac Terra concedere?
Quid MATRI REGINE pulchrius, quam hocce quasi tri-
buto DEO soli relicto, a Rege terrestri Celestem Regum
Regem quā Sponsam Ecclesie summum honorari, cuius
solius peculium esse Conscientiam in Sacris Literis ex-
cellentissime commoneat? Nos certe Sacratissimam Vestram
Majestatem, Materno nos quoque misellos filios adfectu
benignissime dignaturam, gemitibusque ac lacrimis
lacrimabundorum suorum filiorum aures Maternas pre-
bituram per Dominum nostrum Jesum Christum credimus.
Quid APOSTOLICE Majestati convenientius, quam
ad exemplum Sancti Pauli Apostoli suo quemque sensu
ut abundet permittere? Quid denique Gloriosissima
Vestra Majestatis ad externos quoque Protestantes pertin-
gentis fama congruentius, quam illam quæ de Materna
Vestra Majestatis in nos Evangelicos indulgentia
jam pridem ubique percrebuit, majoribus adhuc iudiciis

6

confirmare? Cuius rei unicum saltem specimen, et id quidem unice in aeternam Majestatis Vestrae producimus gloriam, ex Supplicii libello Protestantium Galliae, Comitatus Saxoniae, Franciae Marefallo Anno 1744 sub finem Septembris ut pro iisdem coram Rege intercederet oblato, posterius gallice ac germanice typis divulgato: In quo, post multa alia in haec verba exumpunt: Praeter producta gravissimi momenti incitamenta, moveant suam Majestatem —
" exempla Imperatoris, Reginae Hungariae, et
" Regis Sardiniae, qui plenariam omnibus Protestantibus
" subditis indulgere conscientiae libertatem. Quam et nos a Sacratissima Vestra Majestate tam ardentem, quam a Deo Salvatore, animarum nostrarum salutem imploramus, et aride expectamus: Nos totos, nostraque omnia Sacratissime Vestrae Majestati ad extremum vitae halitum devotentes. Concludimus tandem, ne patientia Majestatis Vestrae nimis abusamur, ac dum nostrarum harum angustiarum exoptatissimum eventum venerabundi praestolamur: pro longeva Sacratissime Vestrae Majestatis incolumitate, prosperitate perenni, perpetuaque augustissima sua Domus in Regnis Hereditariis Successione serenissimas ac Deum preces fundimus,

Sacratissima Vestrae Caesareo Regia
Majestatis,

Vasarkehyni 31 Decembris
Ann: 1761.

humillimi ac perpetuo fideles subditi.
Opifices Helveticae Confessionis addicti
Vasarkehynenses, in universum, In Im-
to Comitatu Congradiensi.